

DEDICATIO.

artium appellatur, Dux Vitæ mortalium, animorum morti medetur, rerum causas solerter inquirit, & divinæ Majestatis arcana rimatur. Urbes quaque peperit, dissipatos homines in societatem vitæ convocavit; eosque primò domiciliis, deinde conjugiiis, tum Literarū tum morum communionem junxit. Ortum Ejus si desideras? habeto eam à barbaris ad Græcos fluxisse. Nam quemadmodum quicquid est ferè Literarum & artium, nominibus idipsum comprobantibus, à Græcis ad Romanos dimanasse certum est: ita gravissimorum Auctorum testimoniis constat, Græcos ab Ægyptiis omnium populorum antiquissimis artes Mathematicas & id genus hausisse. Eusebius quidem Philosophiam cum cæteris ferè præclarè inventis Hebræis acceptum tulit. Quâ in re Cyrillum aliosque magni Nominis Scriptores adstipulatores habet. Ut ut sit, certum est, Philosophiam non modò cum Platone, verum etiam Salomone nostro, donum, cum Cicerone inventum DEORUM esse, investigatricem cœlestium, scrutatricem æternorum & earum